

## MISZELLEN

CUR ARTEMIS ΚΕΛΑΔΕΙΝΗ NUNCUPETUR\*<sup>2</sup>

Cur Artemis in epicis carminibus κελαδεινή nuncuparetur, iam antiquo tempore studiosi ex se quaerebant, cuius rei scholia, lexica et adnotationes criticae Eustathii clarum testimonium adferunt. Iam scholion bT Il. 16.183b ex. tres explicationes praebebat:

κελαδεινῆς δὲ διὰ τὰς ἐν ταῖς θήραις ἐκβολῆσεις, ἥ δ' ἀμφ' αὐτῷ θῆκε  
πολὺν κέλαδον' (Il. 9.547) ἢ διὰ τὰς χορείας ἢ ἐπεὶ Ἐγκέλαδον ἀ-  
έκτεινε βιαζόμενον αὐτήν,

quarum explicationum tertia quippe falsa videtur esse, quae falsa etymologica ratione vocabulum κελαδεινή resolvere conetur;<sup>1</sup> primam et antiqua lexica et recentiores studiosi memoriae tradiderunt; secunda acriori intentione nobis videtur dispicienda esse, quam quanta usque ad nostram memoriam diiudicata sit.

Aliquid tamen oportet primum dicamus de universatim accepta interpretatione. Antequam anno 1965 O. S. Due Homericam formulam χρυσηλάκατος κελαδεινή large disseruisset,<sup>2</sup> putabant tam antiquiores<sup>3</sup> quam recentiores<sup>4</sup> docti viri Artemidem sonoram propter venaticos sonos dici et, ut prima scholii interpretatio monet, ad Il. 9.547 vocabant. Nono in Iliadis libro Phoenicem fabulam Calydonii apri narrare omnibus notum est; hoc tamen loco non de venatico strepitu heroum ad aprum necandum collectorum agitur, sed de discordia quam post aprum necatum Artemis inter venatores excitavit. Non potest ergo exemplum hoc interpretationem a scholio propositam corroborare.<sup>5</sup>

Sed veniamus ad explicationem et argumenta docti Ottonis Due, quae breviter complectemur:

---

\*) Gratias nonnullas ago anonymis relatoribus quorum adnotationibus propositum meum emendari potuit.

1) Praeterea, Enceladus saepius dicitur ab Athena necatus esse: vide Eur. HF 908 et Ionem 209, Hor. Carm. 3.4.56–7 et, quod ad imagines in fictilibus pictas, M. Mayer, Die Giganten und Titanen in der antiken Sage und Kunst (Berolini 1887) 309–316. Alii Enceladum ab Iove necatum faciunt: Batr. 283, Q.S. 5.641–642 et Nonnus 48.70. De nuntio scholii vide J. Escher, Art. Enkelados, RE V (1905) 2578–2580. Eustathius Il. 1249.40 (4.548.15 van der Valk) aliam pariterque falsam rationem etymologicam suppeditat: τὸ κελαδεινή, ἦγουν κῆλα δεινὰ ἔχουσα, τούτεστι βέλη.

2) O. S. Due, The Meaning of the Homeric Formula χρυσηλάκατος κελαδεινή, C&M 26 (1965) 1–9.

3) Sic Suda κ 1277; Phot. κ 547; Etym. Magn. p. 501.31 Gaisford; Apoll. Soph. p. 97.30 Bekker; Eustath. Il. 774.18 (2.801.8 van der Valk).

4) Vide exempli gratia W. Leaf, The Iliad (Londinii 1900–1902) ad 16.183.

5) Nec Leaf (n. 4) videtur animadvertisse quantum sua adnotatio ad 16.183 ab adnotatione ad 9.547 discreparet!

1) excerpta formula, bis tantum in Iliade adiectivo *κελαδεινός* Homerum uti primo (21.511) *κελαδεινή* nomen proprium pro Artemide, secundo autem (23.208) *κελαδεινός* epitheton Zephyri esse; semel autem in Hymnis (HHom. 4.95) valles sonoras (*αὐλώνας κελαδεινούς*) dici;

2) cum Zephyrus et valles sonorae dicantur, epitheton hoc ad venationem attinere non posse;

3) cum *κέλαδος*, *κελάδων* et *κελαδέω* apud Homerum significant sonitus venti, aquae, hominum acclamantium vel pugnantium (et sic sonum efficientium aquae ventorumque similem),<sup>6</sup> epitheton ad sonos silvestris mundi, cui dea praesidet, connectendum esse.<sup>7</sup>

Quanquam hanc explanationem recentiores interpretes generatim acceperant,<sup>8</sup> putamus tamen secundam a scholio oblatam explicationem sustineri posse insequentibus rationibus.

Saepe enim, tum Artemidem *κελαδεινήν* poeta dicit, cum saltationis scaenam pingit. In eodem decimi sexti libri Iliadis loco, ad quem scholion antea citavimus, narrat Homerus quomodo Polymela dum saltat ab Hermete rapta sit: *τῆς δὲ* (scilicet Polymelae) *κρατὺς Ἀργειφόντης / ἠράσατ', ὀφθαλμοῖσιν ἰδὼν μετὰ μελομένησιν / ἐν χορῶ Ἀρτέμιδος χρυσηλακάτου κελαδεινῆς* (Il. 16.181–183). Eodem modo, cum Aphrodita in Hymno Homericō qui ei dicatus est Anchisae respondit se deam non esse, ait se ab Hermete raptam esse *ἐκ χοροῦ Ἀρτέμιδος χρυσηλακάτου κελαδεινῆς* (HHom. 5.118).

Ceterum imago Artemidos saltantis et cum grege Nympharum ludentis frequenter in mytho recurrit;<sup>9</sup> huic accedit quod in ritibus quoque saepissime cultus Artemidi per choros et cantus tribuitur: ubique, antequam in matrimonium ducantur, puellae conveniunt ut choros in honorem Artemidos agitent.<sup>10</sup> Sonora autem deorum epitheta saepe ad eorum cultus referre videntur, cuius rei exemplum praeclarum praebent epitheta Dionysi *βρόμιος* et *ἐρίβρομος*, quae Hymnus Homericus in Dionysum vicissim sextus sic explicat: *αἱ δ' ἄμ' ἔποντο / νύμφαι, ὃ δ' ἔξηγητο βρόμος δ' ἔχεν ἄσπετον ὕλην* (HHom. 26.9–10).<sup>11</sup>

6) Due (n. 2) 3: «noises that are not unlike the roaring of winds or water».

7) Due (n. 2) 3: «as referring to the sounds of wild nature».

8) Vide exempli gratia F. Càssola, *Inni omerici* (Mediolani 1975) 581; R. Janke, *The Iliad. A Commentary. Book 13–16* (Cantabrigiae 1992) 343. Dubitare videtur A. Faulkner, *The Homeric Hymn to Aphrodite* (Oxonii 2008) 91.

9) De hoc vide sch. T Il. 20.8 ex.

10) Quod ad haec omnia pertinet, vide W. Burkert, *Griechische Religion der archaischen und klassischen Epoche. Zweite, überarbeitete und erweiterte Auflage* (Stuttgartiae 2011) 232–234. De Artemide et saltatione vide R. Ellinger, *Artémis, déesse de tous les dangers* (Lutetiae Parisiorum 2009) 56–62. Vide etiam K. Matthiessen, *LfgfE*, s. v. Ἄρτεμις, B 2e.

11) Ubi v. 10 explicare videtur epitheton *ἐρίβρομον*, quo poeta usus est v. 1: *Κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχον' αἰεΐειν*. Diodorus Siculus (4.5.1), Dionysi epitheta explicans, putat *βρόμιον δ' ἀπὸ τοῦ κατὰ τὴν γένεσιν αὐτοῦ γενομένου βρόμου* (scilicet τοὺς ἀνθρώπους αὐτὸν ὀνομάσαι). Vide etiam Eusebium 2.2.10. De hac sententia dubitare licet, iam enim Pindarus (fr. 75.10 Maehler: *τὸν βρόμιον, τὸν Ἐριβόαν τε βροτοὶ καλέομεν*) epitheti rectam explicationem suggerere videtur. Quod ad Dionysum et sonitus, vide W. F. Otto, *Dionysos. Mythos und Kultus* (Francoforti ad Moenum 1933) 85–86. Ceterum nonnulla sunt Dionysi sonora epitheta, ex quibus in AP 9.524.11 *κελαδεινός* quoque numeratur.

Praeterea, siquidem epitheton *κελαδαινὴ* ad cantus chorosque referimus, planius considerare possumus quam ob rem Pindarus ad Charites id applicet (Pyth. 9.89–90: Χαρίτων κελαδενῶν / μή με λίποι καθαρὸν φέγγος).

Quid tamen de Zephyro et vallibus sonoris, quae docto Ottoni Due persuaserunt ut epitheton ad silvestrem naturam referret? Sub voce *κελαδαινὴ*, lexicon Suda post iam notam interpretationem, ad formam masculinam se vertens, καὶ κελαδαινός, ὁ ἡχητικός adiungit. Hic videtur lexicon ad Hymni Homericum locum referre: quid enim nisi vallis propter echon sonat?

Id ad nostrum propositum adhuc utiliora nuntiat, quod ad Zephyrum pertinet. Revera saepe in Graecis litteris Zephyrus sonorus appellatur. Phoenissae iuvenes quae componunt chorum Euripidis tragoediae ab eis nomen capientis, dum in scaenam procedunt, narrat quomodo e Tyro Thebas pervenerint: Ἴόνιον κατὰ πόντον ἐλά- / ται πλεύσασα περιρρύτων / ὑπὲρ ἀκαρπίστον πεδίων / Σικελίας Ζεφύρου πνοαῖς / ἰπεύσαντος ἐν οὐρανῷ / κάλλιστον κελάδημα (208–213). Sonat igitur flatus Zephyri,<sup>12</sup> interdum etiam clamat,<sup>13</sup> praesertim mare inflat: ἀκραῖη ζέφυρον, κελάδον τ' ἐπὶ οἴνοπα πόντον (Hom. Od. 2.421). Non tantum venti flatus per verba eiusdem familiae cuius *κέλαδος* est exprimi potest, sed eodem verbo *κέλαδος* possunt Graeci et venti rumorem et suavissimum lyrae cantum significare. Apud Euripidem (IT 1128–1131) ipsius Apollinis cantus sic describitur: ὁ Φοῖβός θ' ὁ μάντις ἔχων / κέλαδον ἐπατόνοιο λύρας / αἰείδων ἄξει λιπαρὰν / εἰς Ἰθάκηνα ἐπὶ γῶν. Venti flatum pro musico non tantum apud Euripidem habitum esse Homerum ipse planum facit. Eodem enim verbo possunt et flatus Zephyri supra mare inflantis (Il. 4.276: ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς) et sonitus lyrae (Od. 17.261: περὶ δέ σφραγῆ ἡλθ' ἰωῆ / φόρμιγγος γλαφυρῆς) significari.

Eo igitur perducimur ut cogitemus eadem ratione epitheton *κελαδαινὴ* simul ad saltationem et ad venationem referre posse et duas explicationes ad unam reduci.<sup>14</sup>

Venatio enim et saltatio saepissime in Artemide evocanda iunguntur. Sic in ingressu Hymni Homericum in Aphroditam supra citati exponit poeta tres tantum deas flectere Aphroditae non licere (Hera, Artemidem, Athenam), et de Artemide addit: οὐδέ ποτ' Ἀρτέμιδα χρυσηλάκατον κελαδαινὴν / δάμναται ἐν φιλότῃ φιλομμειδῆς Ἀφροδίτῃ / καὶ γὰρ τῇ ἄδε τόξα καὶ οὐρεσι θήρας ἐναίρειν, / φόρμιγγές τε χοροὶ τε διαπρύσιοί τ' ὀλολυγαὶ / ἄλσατά τε σκίονενα δικαίων τε πτόλις ἀνδρῶν (HHom. 5.16–20), ubi versus 18 prius epitheton *χρυσηλάκατον*<sup>15</sup> dilatate videtur, versus 19 epitheton alterum *κελαδαινὴν*.

Idem autem dici potest de Hymno Homericum in Artemidem vicesimo septimo, qui incipit eisdem epithetis Ἀρτεμὶν αἰείδω χρυσηλάκατον κελαδαινὴν. Divisus est hymnus in duas partes, quarum prior (v. 1–10) Artemin venatricem celebrat, altera (v. 11–20) deam Delphis una cum Musis et Charitibus choros agitantem fingit. Quamvis duae hymni partes duobus epithetis congruere videantur, et venatici sonitus referuntur (v. 7–8: ἰαχεῖ δ' ἐπὶ δάσκιος ὕλη / δεινὸν ὑπὸ κλαγγῆς θηρῶν) et soni cantus saltationisque (v. 18–19: ἐξάρχουσα χοροῦς αἰ δ' ἀμβροσίην ὅπ' εἰσαὶ /

12) Cf. Pind. fr. 94b.16 Maehler; Eur. IT 427–438; Plat. in AP 16.13.

13) Vide Hom. Od. 12.408, Eur. Ionem 905 et AP 7.196.

14) Vide etiam M. Schmidt, LfgrE, s.v. *κελαδαινὴ*.

15) Quod ad huius epitheti significationem, doctus Due (n. 2) planum facit verbum iunctum esse in quo ἡλακάτη «sagittam» potius quam «colum» (ut vult vocabularium Liddell / Scott / Jones, s.v. *χρυσηλάκατος*) significat nonnullosque excutit locos quibus suum argumentum tam firme probat ut non putemus aliquid contrarium dici posse.

ὑμνεῦσιν Λητώ). Sic igitur duabus rebus praecipuis Artemidos in unum confluentibus, licet, nostra quidem sententia, deam «sonoram» habere propter venaticos sonitus et propter choros quos ipsa agitat et quibus honorari solet.

Lutetiae Parisiorum

Rochus Marseglia